

illo major est, hoc est aequali habet, majorem non habet. Helias par illi est, nullo utique minor. D. Paschasius lib. 6. in Matth. Inter natos mulierum non surrexit. Quæritur, ait, an Joannes major sit Elia: Respondet, non cum prætulit, sed exæquavit Joanni, idem docet D. Hieron. in c. 11. Matth. ad illa verba, Inter natos mulierum: ergo si ex factis colliguntur vota in Joanne, cur non etiam in Elia cum ille sit æqualis?

72. Confirmatur 4. ex his quæ docent M. Fr. Franciscus à S. Maria in sua Apologia, & M. Fr. Antonius à Spiritu sancto. tract. de Principatu Elia num. 58. ex gravissima pœna, qua Giezi punitus est ab Elifæo 4 Reg. 5. n. 27. Nam ex eo Saar. tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 2. n. 17. Lorinus & Cornelius ad c. 5. Actuum colligunt fuisse votum paupertatis, in primitiva Ecclesia, quia Anania, & uxor ejus Saphira Gravissima pœna, & modo miraculose puniti sunt, eo quod de pretio agri, quem vendiderant clam sibi reservarunt. Sed etiam Giezi punitus fuit gravissima, ac rigida pœna lepræ, per totam vitam, quæ morti æquivalerat, & modo miraculose ob pecuniam, & vestem sibi à Naaman datam, & clam absconditam: ergo sicut illa pœna inflata Anania, & Saphira in primitiva Ecclesia arguebat votum paupertatis: ita & hæc pœna Giezi in lege antiqua. Consequentia est bona; quia sicut occultatio pretii in Anania, & Saphira non erat peccatum, sublato voto, quia erat dispositio de re propria; sed tantum quoddam mendacium; ita receptio, & occultatio pecuniæ à Giezi non erat peccatum, sublato voto paupertatis, cum illam liberè donaret Naaman; & Giezi petierat illam nomine Elifæi non ob datam salutem, sed ob impostum mendacium, quia advenerunt duo filii Prophetarum de monte 4. Reg. 5. n. 22. quod non videbatur dignum tanta pœna; cum ille non peteret pecuniam ob sanitatem datam.

73. Ex dictis bene constat, quod cum alii inferiores in virtute, ac religione suas virtutes votis firmaverint, etiam hoc fecit Helias, & stabilivit suam paupertatem, virginitatem, ac obedientiam cum voto; ut supremum Religionis caput promittens Deo, ejusque ministris obedientiam, ut fecerunt multi sancti, & ego agnovi virum valde probum, qui quotidie dum Missam celebrabat, faciebat votum obediendi Deo in omnibus, & nunquam peccandi mortaliter.

74. Tres rationes jam à me datae de hac re.

75. Probo conclusionem ex Patribus arguentibus contra hæreticos.

76. Proponitur, ac refellitur debilis responsio

QUESTIO IX.

Ex aliis fundamentis probantur vota Obedientia, paupertatis, ac Castitatis in Elia, Elifæo, ac filiis Prophetarum.

SUMMARIUM.

- 74. Tres rationes jam à me datae de hac re.
75. Probo conclusionem ex Patribus arguentibus contra hæreticos.
76. Proponitur, ac refellitur debilis responsio

- adversariorum, n. 77.
78. Secunda responsio etiam refellitur.
79. Ponitur secundum argumentum ex Martyrii nobilitate.
80. Refellitur responsio adversariorum.
81. Ponitur tertium argumentum, ex firmitate status Religiosi, qui ad sui perdurationem requirit votum.
82. Ponitur quartum argumentum, ex Elia, ac Elifæi perseverantia in Dei sequela, & obedientia per totam vitam.

PRO hac veritate confirmanda jam superiori Resolut. 2. q. 4. posui duo fundamenta, unum desumptum ex verbis Beatissimæ Virginis Mariæ in revelatione facta B. Petro Thomæ; alterum ex diplomatibus Romanorum Pontificum pro confirmanda Religione in statu Religionis cum tribus votis, ac obedientia Priori Generali, in quibus tantum Actorem, ac fundatorem Religionis agnoscunt Eliam à quo dicunt nos habere successorem, quod intelligendum est de eo statu, in quo confirmant Religionem & præter fundamentum aliud datum superiori quæst. alia nunc appono.

Primò. Quia communiter sancti Patres D. Gregorius, Nazianzenus, Oratione adversus Arrianos. D. Hieronymus epistola ad Paulinum. D. Augustinus serm. 39. ad Eremitas, Cassianus ejusdem sæculi antiquissimus Actor, lib. 1. de institut. Monach. cap. 2. D. Chrysostomus lib. 3. contra viruperatores vite monastica tom. 5. D. Nilus lib. de Monastica. D. Isidorus Hispalen. lib. de offic. cap. 15. D. Epiphanius Hæresi 58. Noster insignis Vvaldens. lib. 3. de Sacramentalibus c. 89. & lib. 3. Doctrinalis fidei art. 2. c. 23. & Tres Cardinales Petrus Damian tom. 3. Opusculor. opuscul. 15. c. 2. Caietan. contra errores Lutheri; in Additionibus Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 5. & 19. & alii multi arguentantes contra detractiones, ac vituperationes vite monasticæ, opponunt Eliam, ac Elifæum, ergo in istis sanctis Prophetis cognoscunt statum, & modum religiosum, non ea perfectione, ac excellentia, qui est in Ecclesia Catholica modò.

Respondent fortasse Adversarii, quod sancti Patres, ac Doctores loquuntur latè in sensu improprio, prout Elias, & Elifæus vivebant in Cœlibatu cum vita eremitica, & solitaria, ac proinde in statu quodam figurativo monachatus.

Sed contra. Primò; sancti Patres arguentantes contra Hæreticos, non opponunt contra eos, quod ipsi approbant, laudant, ac tenent; sed id, quod ipsi damnant, reproban, ac condemnant. Atqui hæretici laudant, & approbant vitam in cœlibatu, ac in solitudine, & recessu cum asperitate, & damnant statum religiosum cum votis, ergo cum opponunt contra hæreticos Eliam, & Elifæum non solum agnoscunt in eis vitam solitariam, sed etiam statum religiosum cum votis. Major & consequentia ex dictis patent; minor, in qua est tota vis argumenti, quod scilicet hæretici approbant vitam in cœlibatu, ac solitudine. Elizabeth Regina Angliæ caput omnium hæreticorum solebat dicere, quod plus gloria

74.

75.

76.

77.

gloriabatur de sua virginitate, quam de corona regni; & apud hæreticos sunt multi, qui appellantur rigidi Calvinistæ, rigidi protestantes, ut mihi certum fecerunt gravissimæ personæ ex partibus hereticorum advenientes, & etiam magistri Collegij anglorum Hibernorum, qui sunt in hac civitate; & hi austeri, solitarij etiam dantur apud Mauros, quos ipsi vulgo appellant Maracheos, ergo sancti, Patres, ac Doctores Ecclesiastici non opponunt contra hæreticos, hos suos solitarios, sed veros religiosos, cum illos admittant, hos negent.

78. Secundo contra adversariorum responsionem, si dederint, sic arguo, nullo modo fieri potest, ut Patres, ac Doctores Catholici, arguentantes contra hæreticos apponant contra eos monachatum improprium, & figurativum, quia maximè Auctores Catholici impugnant, & damnant hæreticos, qui ad seminandos suos errores in sensu improprio, & figurativo, interpretentur Sacram scripturam, ut finistrè, ac malignè faciunt ad verba Consecrationis. Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei. Inde tamen perversa, & iniqua falsitas hæreticorum confunditur, ac convincitur, ut dixi tom. 5. in Evangelia lib. 7. cap. 7. quæst. 21. num. 149. quia si verba Sacra scripturæ accipienda sint per figuram, & tropum tota veritas scripturæ perit ac corrumpitur, & sic dicitur per tropum, ac figuram mundum fuisse creatum à Deo, Noè fabricasse Arcam; si ergo contra hæreticos graviter, & fortiter insurgunt Doctores Catholici ad veritatem fidei tuendam, affirmantes scripturam, non improprio, ac figurativo, sed in proprio, ac legitimo sensu esse explanandam, quomodo fieri potest, quod ipsimet Catholici arguentantes contra hæreticos opponant adversus eos rem impropriam, & figurativam, ergo opponunt statum verum, & proprium.

79. Probat secundò nostra resolutio; si aliquid obstat, ob quam rem daretur status monachalis in lege antiqua, cum voto castitatis, esset imperfectio ipsius legis; atqui martyrium multò excellentius, perfectius est, quàm votum castitatis; ergo si illud datur in illa lege, hoc nempe votum cum sit minus, non repugnat. Major est totum fundamentum adversariorum? minor verò quod martitium nempe sit perfectius, probatur ex verbis Christi D. Ioan. 15. n. 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Inter omnes virtutes regina est charitas; Major autem eorum est charitas, ait Paulus; quod autem in lege veteri daretur martyrium est manifestum, ait D. Stephanus Actorum 7. num. 52. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri: & occiderunt eos, qui prænantiam de adventu justii. Et patet in Machabæis, & multis aliis, ergo si martyrium non repugnabat, quod est perfectius, nec status monachalis, nec votum, cum sit minus.

80. Mihi dictum fuit, cum in publicis conclusionibus opponerem hoc argumentum, quod verum est martyrium nobilius, & excellentius esse statu religioso, ac castitatis voto, juxta Christi D. doctrinam, tamen per respo-

Joan. 5.

Act. 7.

80.

ctum ad illam legem antiquam maximè repugnare castitatis votum ob affectum, quem homines illius temporis habebant ad generationem naturalem, ut fierent Christi parentes. Sed contra: cum generationi naturali magis repugnat martyrium, quàm votum castitatis, nam cum martyrium secum involvat mortem; ipso interveniente viribus naturæ non potest dari generatio, quæ optimè dari potest interveniente voto licitè, vel illicitè interposita dispensatione.

Dicunt secundo, Quod illi viri sustinuerunt tormenta, quia ad hoc tenebantur ex lege naturali, ac divina pro fidei confessione, quæ obligatio non datur quoad votum. Sed contra. Licet ex lege divina, ac naturali obligentur homines, pro fidei confessione pati omnia tormenta; tamen ne in cruciatibus deficerent ut multi defecerunt, necessaria fuit illis gratia, ex qua talis patientia, ac fortitudo manavit: sicut & eodem modo, licet homines astringantur ex lege divina, ac naturali, ad vincendas carnis concupiscentias, tamen ad eas superandas necessaria est divina gratia, nam ut ait Jacobus Apostol. 1. n. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum.

Ad argumentum in forma, Respondeo. Quod illi magni viri suporaverunt durissimos Martyrii cruciatu, & in illis pro Deo vitam profuderunt, non ex aliqua virtute naturali, sed ex Dei gratia. Si ergo Deus illis Patribus anti quis tantam dedit gratiam, ac fortitudinem ad patienter sustinendam martyrii acerbitatem, & cum tanta generositate, ut alios etiam ad martyrium exhortarentur, ut de Matre Machabæorum, ac etiam de ipsius pueris inter se scribitur. 2. Machab. cap. 7. num. 5. & 7. & 21. & cum tanta alacritate, ut suos carni fices antecederent, ut habetur de Eleazaro, qui voluntarie preibat. cap. 6. num. 19. quod non ex præcepto, sed ex charitatis fervore proveniebat; & hoc cum Martyrio, est quid maximum, & excellentissimum. Cur ergo negandum, quod Deus etiam dedisset illis Patribus gratiam, ut virtutes suas voto firmarent, quod est quid minus, & inferius.

Confirmatur tota hæc doctrina. Optimus provisor, intendens finem, etiam intendit media proportionata ad talem finem, sed Deus illis patribus Antiquis intendit, & disposuit dare gloriam, ergo etiam intendit, & disposuit dare illis media proportionata, qualia sunt vota paupertatis, ac castitatis: & quid mirum, quod talia media illis dederit, cum multo majora illis concesserit, utpote charismata Spiritus Sancti, & ut omne periculum pro Deo contempserint, ut Reges in faciem arguerent, eisque duram mortem denuntiarent ut Elias & Samuel; & Moyses negavit se esse filium filie Pharaonis majores divitias estimans thesauro Aegyptiorum inproperium Christi. Hebræ. 11. num. 25. Hæc tamen omnia Deus ampliori, & largiori manu dedit in lege gratiæ, de quibus omnibus latius infra quæst. 12.

Tertio probatur nostra sententia quia sic docet D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 11. & latius quæst. 86. art. 6. ad 1. Immobilitas sequela Christi firmatur per votum, & ideo votum requiritur

81.

Jacob. 1.

Machab. 6.

Hebræ. 11.

82.

82.



D. Thom. Cajetan. Soto. Lessius. Sanchez. Suarez.

tur ad perfectionem religionis. Sequuntur Cajeta. Soto, lib. 3. de iustitia quasi. 5. art. 1. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 1. Sanchez lib. 5. Decalog. cap. 1. num. 8. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 3. num. 5. & alii multi apud ipsos, & Canonista ad cap. cum ad monasterium de statu monachor. & ex titulo de Regularibus cap. viduam, cap. significatum, & cap. Porretum, quod ad firmitatem status religiosi, requiritur ut sit votis stabilitus, cum enim humana conditio sit valde fluctuans, & inconstans, & facile mutetur, ut persistat, requirit voti ligamen, & vinculum. Atqui congregatio filiorum Prophetarum in lege veteri per annos 930. ab Helia usque ad Christum perduravit, ergo in tali lege ad illius status conservacionem, ac perduracionem vota requirebantur. Probatur hæc consequentia, quia vinculum, ac ligamen votorum exigitur ad immobilitatem status religiosi; atqui illa congregatio filiorum Prophetarum habuit consistentiam, & permanentiam ab Helia usque ad Christum, ut tradunt Josephus Antiochenus, Eusebius Cæsariensis, & alii jam citati. Resolut. 2. q. 1. num. 13. & 34. insuper nobis declarat Sacra congregatio eminentissimorum Cardinalium in 4. lectione festivitatis commemorationis B. Virg. Mariæ 16. Julii, ubi dicitur, viri plurimi, qui vestigiis sanctorum Prophetarum Elia, ac Elisei insisterant, Evangelicam fidem confessim amplectari sunt. Ergo in illo statu fuit aliqua votorum firmitas. Confirmatur, quia in lege Evangelica, ubi gratia, auxilia, & motiva excitantia ad bonum sunt in magna, & larga abundantia ad immobilitatem cum potestate clavium, requiruntur vota; quanto magis in illa lege antiqua, ubi non erat tanta affluentia gratiarum, & potestas clavium, & natura valde infirma.

Josephus. Eusebius.

D. Thom.

Suarez.

Bellarmin.

Quarto probatur nostra sententia, quia Elias, Eliseus per totam suam vitam firmiter perseverarunt absque eo, quod in aliquo minimo discreparent, ac discederent à Dei obsequio, ac ejus obedientia, vivendo in summa paupertate, ac castitate, ergo interveniente votorum vinculo. Antecedens patet ex quest. 6. & 7. consequentia est D. Thomæ 2. 2. quest. 186. art. 6. ad 2. ubi ait, Non aliter potest homo totam vitam suam Deo exhibere, nisi per voti obligationem. Cum enim ipsa perseverantia sit in re multum repugnante humano appetitui, exacta obedientia cum abnegatione propriæ voluntatis, cum rigida, ac extrema paupertate, cum integra castitatis puritate refranante omnes appetitus, non potest perdurare, nisi astringatur voti vinculo, ut rectè explicat Suarez tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 3. num. 2. Cum hoc sit de re valde difficile, & de se non necessaria, sed voluntaria, nisi aliquo morali vinculo, firmata sit, facile fluctuabitur. Ergo cum in Elia, ac Eliseo non fluctuavit, sed firmiter perseveravit, morali votorum vinculo extat stabilita. Confirmatur, quia ut docet Cardinalis Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 21. ubi ait. Perfecta sequela Domini, que in abnegatione sui ipsius, id est in perfecta obedientia consistit, necessario involvit votum, quo quis ita se ipsum abnegat, ut non possit retrocedere: non enim perfecta est abnegatio sui obedire alteri ad tempus. Cum

ergo Elias fuerit in tor, & tantis mandatis exequendis cum exactissima obedientia, cum summa sui abnegatione, ut suo altissimo zelo nihil aliud quæreret, nisi gloriam Dei, & contempto omni suo periculo, reges argueret, eisque mortis sententiam denunciarer, tam perfecta ergo sequela cum voti vinculo firmata est. Hanc rationem apponunt M. Franciscus à S. Maria in Apologia, & M. Fr. Antonius ab Spiritu sancto, de Primatu Eliæ, num. 37.

QUESTIO X.

Stabilitur nostra sententia auctoritate sanctorum Patrum, ac gravissimorum Doctorum.

SUMMARIUM.

- 83 Juxta Christi Doctrinam explicatur quid sit Eunuchus propter regnum celorum.
84 Pro nostra sententia quadraginta duo Auctores.
85 Et quamvis multi ex his Auctoribus sint ex nostris, eorum auctoritas magna est.

IN primis apponamus patres, qui Eliam, & Eliseum appellant, Eunuchos, hoc est viros castos cum voto. Juxta illud Christi D. Matth. 19. num. 12. sunt Eunuchi, qui de utero matris sic nati sunt, & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, & sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt, propter regnum celorum. Tria genera Eunuchorum proponit Dominus, ut latè explicavi tom. 6. ad cap. 19. Matth. quest. 11. sunt Eunuchi ex utero matris, ut pote valde frigidi, & inepti ad generandum. Secundo sunt alij facti ab hominibus arte, & instrumento. Tertio sunt alij, qui præclarissimo castitatis voto se Deo consecrarent, quia ut pulchrè ex D. Epiphonio, D. Irenæo, D. Augustino, D. Fulgentio tenent Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 23. dicens: Ipsa enim Eunuchorum appellatio perspicuè indicat votum, non enim est Eunuchus, qui solum se continet, sed qui non potest non continere. Et etiam ex eisdem Patribus cum D. Chrysostomo, D. Anselmo, D. Ambrosio, D. Thom. idem docet Suarez tom. 3. de Relig. cap. 1. num. 16. 17. ac proinde ille dicitur spiritualiter Eunuchus, qui ex voto est impotens ad generandum. Hoc posito præpono Patres, qui Eliam, & Heliseum dicunt, & appellant Eunuchos.

83; Math. 19.

D. Epiphanius. D. August. D. Fulgent. Bellarm. D. Chrysost. D. Anselm. D. Ambr. D. Thom. Suarez.

84;

D. Epiphanius hæresi 63. ait, Elias, & Eliseus, & Ioannes, qui per magnam hanc formam, imitatores Angelorum, rectè secundum Evangelicam Domini ordinationem se ipsos propter regnum Dei castraverunt. Tertullianus lib. de Monogamia cap. 8. agens de Transfiguratione Christi, ait, Moysen, & Eliam secum mavult alterum monogamum, alterum Spadonem. Explicat ejus Scholiastes Pamelius; Eliam Spadonem castum cum voto.

D. Anastasius Sinaita tom. 6. in Bibliotheca in suis quæstionibus scripturæ sacræ q. 66.

ait: Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum celorum, hi sunt præclari Apostoli, atque deinceps fuerunt virgines, & eunuchi: Ioannes quidem, & Iacobus filii Zebedæi, & post illos, quot milia monasticam vitam agentis, sicut Elias, & Daniel in veteri Testamento.

D. Ephrem Syrus, quem citat, ac sequitur Salianus tom. 4. Annalium anno 3123. n. 21. & ait: Sanctus Ephrem Syrus, Eliam, & Eliseum, & Ioannem, & Apostolum Paulum in eorum numero recenset, qui se castraverunt propter regnum Dei.

D. Amandus de laudibus B. Virginis c. 11. referens Eunuchos propter regnum celorum numerat Joannem, Eliam, & Eliseum.

D. Hieronymus epistola 28. quæ est ad Lucinam ait. Eliseus boves, & iuga prioris operis vertit in vota. Quæ verba magis explicant.

Cardinalis Hugo in cap. 9. Luc. ait: Eliseus in aratro coxit carnes, maceravit boves, id est Religionis fecit votum. Eliseus concremato aratro boum carnes coxit, ut dimissis omnibus suis promptius, ac expeditius ex obedientia sequatur Eliam; & in aratro coquens carnes ex paupertatis voto dimittit omnia, & hoc cum perfecta charitate. Carnes dedit populo tanquam expendens omnia sua in elemosinas pauperum. 3. Reg. 19. num. 12. & coxit carnes. D. Antonius Ulyssipponensis serm. in Dominica 5. post Trinitatem, coxit carnes, id est carnales concupiscentias in contritione cordis. Ex castitatis voto tanquam omnes suos appetitus consumpsit.

Concilium fenonense in Decreto 9. De votis monasticis, ubi expresse agnoscit vota scilicet obedientia, & paupertatis in Rechabitis, qui erant soboles filiorum Prophetarum, ut dixi supra, quest. 3.

Josephus de Bello Judaico, Philo Hebræus Cedrenus, qui tria vota scribunt in Essenis, qui erant ex filiis Prophetarum, ut dixi supra, quest.

Joannes Jerosolymitanus lib. de Institut. Monachorum per totum, ac præcipuè cap. 9. & 10. cap. 19. & 21.

Noter Doctissimus Vvalden. lib. de Sacramentalibus de B. Virgine ait, Quæ virgo Fœmina prima Propheta scilicet Elia in virginis perpetuo voto successit. Intellige quò ad tempus, nam in ratione causæ exemplaris præcessit virgo sanctissima.

Tritemius de laudibus Carmelitarum c. 2. Favet autem Carmelita sancti Principis Elia exemplo instructi ad perpetuam castitatem voto Religionis se obligant.

Ludovicus Clitoveus tom. 2. homil. 2. ait. Virginitatis perpetuè servanda votum ab Elia originem habet.

Rupertus Arboricensis de coelibatu fol. m. li. 3. ait: Etiam in Catalogo eorum, qui virginis natiæ voverunt, Elias, & Eliseus scribendi sunt.

Illusterrimus Dominus Joannes Suarez Episcopus Conimbricensis in Math. cap. 2. tit. 1. ubi introducit sanctissima Virginem Angelo nuntianti respondentem, Et si firmè desponsata, votum habeo virginis, habebat enim exemplum in Elia, & Eliseo. Et subdit. Licebat igitur, prout ex precedentibus liquet, vota emittere, & castitatem servare quòd semper laudabile fuit.

Mag. Joannes Carthagenæ tom. 4. lib. 2. objectione 7. ait: Elias tria vota substantialia Religionis emisit.

Thomas Ferrarius ex Societate Jesus in historia Imaginis del monte de la Guarda cap. 1. ait, Elias ad honorem B. Virginis emisit votum in Carmelo virginis perpetua.

Agidius, Camatrus Dignissimus Generalis Minimorum de rebus Eliæ cap. 6. sect. 8. ait, Elias omnium Monachorum Pater fuit, qui tria essentialia vota Religionis primus ipse opere implevit.

Doctissimus Salianus tom. 4. Annalium ad annum 3139. num. 12. ait, Eliam tanquam à Cathedra Moysis loquentem audiat, & in ejus manibus vota vestra offeretis.

Onofrius Saltus Valentius in vita S. Onofrii Regis cap. 18. ubi ait, Præinde sue Eliæ, vel primero, que entre los hombres hizo voto de castidad.

Insignis mag. Suar. tom. 3. de relig. lib. 3. c. 1. num. 2. ait: Ante legem novam in usu fuisse tria vota in quibus substantia religiosi status consistit verisimile videtur, Et quamvis ipse contrariam teneat sententiam, hanc nostram tamen dicit verisimilem.

Josephus Signenda lib. 2. Discor. 2. de la Castidad. ait, De los bios de los Prophetas, que en la escuela de Elias, è Eliseo, vivian, sin mugeres, sin haciendas, donde tan charamente estam calificados los tres votos.

Valderrama in Theatro Religios. serm. de sancto Propheta Elia, ubi ait, Puro sin duda Elias fue el primero, que guardò virginidad, el la enseno à guardar en el Testamento viejo à sus Religiosos.

Ludovicus Tena in sermone S. Theresiæ Martiri anno 1615. ubi sic ait, La sagrada Religion del carmel tiene su principio en Elias que fue el primer hombre, que voto Castidad.

M. Fr. Joannes Saguensis lib. de virtutibus Moralibus lib. 4. cap. 3. num. 7. Præclarum de hac re habemus documentum, & maxime in Elia, ac Eliseo, qui tribus votis Religionis se Deo consecraverunt.

Petrus de Ribera in sermone S. Theresiæ Martiri anno 1627. ubi ait, Elias fue el primero de los mortales, que en carne humana se consagrò à Dios spontanea, y voluntaria mente en perpetua virginidad.

Ex nostris auctoribus.

Paleonidorus, Auctor antiquus, & magne auctoritatis lib. 1. de origine Ordinis Carmelitarum c. 1. ubi ait, Elias Propheta sacrum Carmelitarum ordinem tribus spiritualibus punctis, voluntaria paupertate, obedientia, & castitate instituit.

Insignis Mag. Petrus Corneus in Regia Salmanticensi Accademia publicus Cathedralicus in conclusionibus habitis Romæ anno 1613. in conclus. 12. ait, Forma monastica disciplina, sub observantia trium votorum ab Elia primordialiter emanavit.

Didacus Coria in Chron. Carmel. lib. 1. c. 7. Petrus Satrienus in Menologio Carmel. in vita S. Elia.

Joannes Molina lib. de Institutione Carmelitarum o. 3. M. Petrus

87;